



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, 1680

107. An Collegium, vel Communitas possit excommunicari? Et quid est
dicendum, si quilibet sigillatim excommunicetur; etiamsi omnes eius
Collegij excommunicentur? Ex p. 5. tr. 9. res. 38.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76372)

torio, ex c. novit, de officio delegati, & l. 2. de officio Pro-
curatoris. Tamen Avila de censuris part. 2. c. 3. disp. 2. dub. 1.
ex Navari, & Sylvestro limitat hanc sententiam,
quando crimen est adeo clarum, ut non requirat co-
gnitionem causæ, & etiam docet Bizozerus, in sum-
ma de excomm. c. 2. n. 2.

2. Sed adversus hanc sententiam insurgit Io. Præ-
positus in 3. part. D. Th. q. 1. de censuris in communi d. b. 5.
n. 4 quia in tali casu verum est, quod Episcopus in
alieno territorio non habeat Tribunal, & quantum-
cumque causa sit clara, ferre censuram est actus fori
contentiosi, quod in aliena Diocesi exerceri nequit,
ex Clem. unica, de foro comper. in pr. Vnde Episcopus
quantum ad exercitium jurisdictionis contentiosæ,
est veluti quidam privatus, postquam Diocesim suam
est egressus, & censura ab eo ibi lata non solum est
illicita, sed etiam nulla & invalida, ut late ostendit
glossa in cap. novit, de officio Leg. ver. terminos, & colli-
gitur manifeste ex ipso textu, ubi Pontifex non aliter
salvat censuram interdicti à Legato contra Regem
Francie latam, quam ex eo quod nondum fuerat ter-
minos sue legationis egressus ergo si jam extra illos,
censura illa nulla fuisset.

3. Verum his non obstantibus sententiam Avilæ
& Navari tenet novissimè Petrus Cornejo, in 3. part.
D. Th. q. 5. de cens. in genere, disp. 6. dub. 2. q. 2. quia cum
causæ cognitio necessaria non sit, cessat ratio prohi-
bitionis quod intellige modò monitionis præmittat,
& huic sententiæ favet textus in c. cum sit, §. fin. de ap-
pell. & cap. evidentiæ de accusat. & c. manifestat. 1. q. 1.
Vnde puto utramque opinionem esse probabilem, sed
ego affirmativæ libenter adhareo.

RESOL. CV.

An ratione delicti possit Episcopus excommunicare sub-
ditum alienum?

Vbi etiam invenies aliud pulchrum dubium videlicet;
an si Episcopus Panormitanus ferat excommunica-
tionem contra scientes, quinam fecerit tale furtum, &
non manifestantes; si Petrus verbi gratia, origina-
rius Diocesis Montis Regalis perveniat ad Civita-
tem Panormi post latam hanc sententiam & ibi acqui-
rat domicilium & cognoscat furem, & non manifestet,
an ligabitur censura?

Ex quo inferitur, quod censura lata ab Episcopo per
viam sententiæ generalis non ligat nisi subditos ra-
tione personæ, & domicilij, non autem eos, qui subditi
non sunt, etiam si intra ejus territorium existant. Ex
part. 5. r. 9. Ref. 36.

Respondeo affirmativè, dum manet in sua
Diocesi, vel etiam si talis alienigena profes-
sus sit ab ea Diocesi, antequam ferretur excommu-
nicatio, tamen fuerit præventus citatione, vel si ad
requisionem Episcopi ejus territorij, in quo deli-
quit, citetur à proprio Episcopo, ad quod Episcopus
requisitus tenetur, ut notant Doctores in c. fin. de foro
comp. & observat in specie ex neotericis Petrus Cor-
nejo, in 3. part. D. Th. r. 5. de censuris in genere, disp. 6.
dub. 2. q. 3. Hurtad. de cens. in genere, diff. 9. num. 36. &
Avila de censuris part. 2. c. 3. disp. 2. dub. 3. concl. 2. in tali
enim casu reus tenetur respondere, & si non faciat,
potest excommunicari ab Episcopo territorij, in quo
deliquit.

2. Sed insurgit hic practicabile, ac curiosum du-
bium, nempe an si Archiepiscopus Panormitanus
ferat excommunicationem contra scientes quisham
fecerit tale furtum, & non manifestantes? Si Petrus,
v. g. originarius Diocesis Montis Regalis perveniat ad

civitatem Panormi post latam hanc sententiam, & vlt. in fine
ibi acquirit domicilium, & cognoscat furem, & non
manifestet, an ligabitur censura? Affirmativam sen-
tentiam tenet Ioan. Præpositus, in 3. part. D. Th. q. 1. de
cens. in comm. dub. 5. n. 50. Hurtado, ubi supra, n. 39. qui
citatur Suarez, & Coninch: quia non apparet ratio,
propter quam talis non ligetur censura, cum etiam
post publicationem edicti daretur ejus obligatio, & im-
positio pœnæ. Verum mihi contraria sententiæ etiam
probabilis videtur, quia sententiæ referendæ est ad
tempus, in quo pronuntiatur, tunc enim incontinenti
sumit vires adversus eos, contra quos fertur. Ergo
solum habet vim contra eos, qui tunc erant subditi.
Ex quo inferunt viri docti, quod licet tempore, quo
profertur hujusmodi sententiæ, ille alienigena existat
in civitate Panormi, si tamen nondum est factus sub-
ditus ratione personæ, quia nondum acquisivit do-
micilium, non ligabitur censura quoniam tempore
prolationis sententiæ non erat subditus, nec ratione
delicti, nec ratione personæ. Ita Avila, quem sequitur
Cornejo, ubi supra, & Sayrus.

3. Hinc à fortiori dicendum est cum supra citatis
DD. quod censura lata ab Episcopo per viam senten-
tiæ generalis non ligat, nisi subditos ratione personæ
& domicilij, non autem eos, qui subditi non sunt,
etiam si intra ejus territorium existant: unde qui in
alieno Episcopatu, ubi furtum prohibitum est sub
censura, non habet domicilium, non ligatur illa cen-
sura: & ratio est, quia censura per modum senten-
tiæ etiam generalis directè fertur in personas secun-
dum se, præscindendo à territorio. Ergo solum ligat
eos, quæ secundum se subditi sunt; sed alienigena
non est subditus, ergo.

Sup. hoc est
doctrina
ref. seq.
signanter in
fine.

RESOL. CVI.

An peregrini obligentur censuris locorum generali sen-
tentia aut statuto decretis?

Et ideo excommunicatio lata contra eos, qui sciunt ali-
quod furtum seu delictum esse commissum, non ligat
transientes advenas, & peregrinos. Ex p. 3. tract. 5. &
Misc. 1. Ref. 73.

S. 1. Affirmativè respondit glossa in c. à nobis de
sent. excomm. & ibi Abbas, n. 7. Vgolinus, de
cens. tab. 1. c. 9. §. 2. n. 4. & DD. quos citat, & sequitur
Barbosa, in collect. tom. 2. lib. 5. c. 21. n. 4. & hanc sen-
tentiam docet etiam Suarez, de cens. disp. 5. sect. 5. n. 12.
quando censura lata est per statutum, quia cum ter-
ritorio inhæreat, affici debent etiam peregrini. Et
absolutè hanc sententiam docet Basilii Pontius de
mair. lib. 5. c. 7. §. 2. n. 19. si ve excommunicatio sit lata
per modum statuti, si ve per modum sententiæ.

2. Sed ego contrariam sententiam teneo ex
textu claro in cap. 1. nobis, el. 1. de sent. excomm. nam
potestas jurisdictionis tantum se ad subditos exten-
dit, sed sicut sententiæ, & statutum manat à potesta-
te jurisdictionis. Ergo solum ligat subditos, non au-
tem advenas & peregrinos. Et ita novissimè adver-
sus Suarez, docet Layman, in Theol. moral. lib. 1. tr. 5.
p. 1. cap. 4. num. 5. unde contra Basilium, ubi supra,
excommunicatio lata contra eos, qui sciunt aliquod
furtum seu delictum esse commissum, non ligat tran-
sientes. Ita Coninch de Sacr. disp. 13. dub. 7. cõcl. 5. n. 60.

Sup. hoc in
ref. præce-
rit §. vlt.
Sed lege eam
per totam.

RESOLUTIO CVII.

An Collegium vel universitas possit excommunicari?

Et

Et quid est dicendum, si quilibet sigillatim excommunicetur, etiam si omnes ejus Collegij excommunicentur?
Ex part. 5. tr. 9. Ref. 38.

§. 1. **A**D hoc dubium, quod in praxi sæpius potest accideret, sic respondet Hurtado, de excomm. diff. 2. n. 7. Quamvis communitas excommunicari non possit ab homine ob crimen committit in aliquo vno negotio, potest tamen excommunicari excommunicatione juri annexa, & quamvis non possit communitas excommunicari ab homine, possunt tamen excommunicari plures communitatis ex iis qui assisterunt ei negotio etiam ut membra communitatis ob idem commune crimen in aliquo vno negotio, dum non excommunicentur omnes illi, qui in eo negotio assistentes, & representantes communitatem, illud crimen commiserunt, quia omnes isti non possunt ut communitatis membra excommunicari ab homine, quamvis aliqui communitatis non assisterint ei negotio, possunt tamen omnes ut membra communitatis excommunicari ab homine ob diversa crimina, alij ob vnum, & alij ob aliud, & etiam omnes ut particulares persone etiam ob idem commune crimen ab illis, ut à particularibus personis commissum, quia in dicto cap. tantum est sermo de excommunicatione ab homine lata contra communitatem ut talem ob peccatum commune ab ea commissum, quia non præsumitur omnes communitatis, qui assisterint alicui negotio, delinquere eodem communi crimine. Ita Hurtado, & ideo Vasquez, notat Turrian. de cens. lib. 2. diff. 23. dub. 2. doctrinam prædictam, scilicet non posse Collegium, seu communitatem excommunicari, intelligendam esse, quando vnica sententia excommunicatur Collegium, hoc enim est, quod prohibetur in cap. Romana, de sent. excomm. in 6. Si verò quilibet sigillatim excommunicetur, erit valida excommunicatio, etiam si omnes ejus Collegij excommunicentur, quia hoc non est prohibitum. Ergo, si cætera adsint, valida erit sententia. Vide etiam Coninch de Sacram. disp. 13. dub. 6. n. 48.

RESOL. CVIII.

Sup. prima diff. huius tituli in duabus ref. seq. & in tr. 1. tr. 3. ref. 50. §. ult. in pr. & in Ref. 83. §. ult. & in tom. 2. ref. 5. §. Ex quibus, ad medium.

An pueri statim post usum rationis teneantur censuris, & penis?

Et difficultas est de censuris latis à jure.

Et an puer impubes occidens aliquem incurrat, & contrahat irregularitatem?

Et an pueri, si in ea ætate ante usum rationis decedant, possint sepeliri in loco interdicto? Ex part. 3. tr. 6. & Misc. 2. Ref. 88.

§. 1. **D**E censuris ab homine latis, quod pueri non adstringuntur quovisque ad pubertatem deveniant ex cap. 1. & c. referente, de delict. puer. tradunt Vasquez, in 3. par. tom. 4. q. 50. art. 2. dub. 4. n. 3. Corduba, in summa, q. 60. dist. 5. Sanchez, in summa, tom. 1. lib. 1. c. 12. n. 7. Sancius in selectis, disp. 26. n. 18. & alij penes ipsos.

2. Sed difficultas est de censuris latis à jure, & affirmativam sententiam ex cap. super eo, pueris cap. quamvis, de sent. excomm. tradunt Vgolinus, de cens. c. 17. §. 3. n. 5. Suarez, in 3. part. tom. 5. disp. 5. sect. 1. n. 19. Azorius, tom. 1. l. 7. c. 41. q. 10. Henriquez, lib. 8. c. 42. n. 8. Sanchez, in summa, loc. cit. n. 8. Sancius, n. 18. & alij.

3. Verum Castrus Palaus, in opere morali, tom. 1. tr. 3. disp. 1. punct. 24. §. 2. n. 9. absolute probat, solum sententiam excommunicationis ipso jure latam ob percussionem Clerici, propter ejus gravitatem contrahi à pueris doli capacibus ante pubertatem, quia in su-

pra dictis textibus ita habetur. Aliæ autem censuræ, & excommunicationes ab homine late, etiam generaliter non comprehendunt pueros ante pubertatem, & sequenda est communis decisio in cap. 1. de delict. puer. quia odia sunt restringenda. Ita Castrus.

4. Ex quibus inferitur cum Avila de cens. part. 7. disp. 6. sect. 1. dub. 13. & aliis contra Layman, in Theol. mor. lib. 1. tr. 4. c. 10. n. 6. Sanchez, in summa, tom. 1. lib. 1. c. 12. n. 8. & alios pueros impuberes occidentem non contrahere irregularitatem, vide Henriquez, lib. 1. 3. de cens. irregular. c. 3. n. 4. in glossa litera Z.

5. Notandum est tamen hic obiter, quod licet pueri ante usum rationis adstricti non sint legibus, & censuris Ecclesiæ, ut probatum est, at si in ea ætate decedant sepeliri non possunt in loco interdicto, quia hæc prohibitio non tam ipsos, quam sepelientes respicit. Ita Salas de legibus disp. 14. sect. 13. num. 116. Suarez, de cens. disp. 5. sect. 1. num. 2. Henriquez, & Sanchez, ubi supra.

RESOL. CIX.

An impuberes incurrant excommunicationem latam, & ab Episcopo contra non observantes præceptum annuæ confessionis vel communionis in Paschæ? Ex part. 4. tr. 4. & Misc. Ref. 207.

§. 1. **A**ffirmative respondet Hurtado, de Sacram. disp. 7. de pœnit. diff. 6. vbi sic ait: Impuberes non implentes præceptum annuæ confessionis incurant excommunicationem majorem, quæ in aliquibus diocesis ipso facto imponitur. Ita ille, quod etiam docuit de censuris in communi, diff. 7. vbi probat, pueros impuberes ratione videntes posse valide ligari censuris ab homine.

2. Sed his non obstantibus contrariam sententiam docet Corduba, in summa, q. 6. & Petrus de Ochagavia, de Sacram. tract. 2. de Euchar. q. 7. quibus adde novissime Gulielmum Mercetum, de Sacram. in 3. part. D. Th. q. 6. art. 5. n. 7. vbi loquendo de pœnis, quæ possunt incurri ex violatione præcepti annuæ confessionis, allerit per constitutionem Synodorum particularium posse incurri excommunicationem ipso facto, sed subdit non extendi ad pueros, etiam si peccent contra divinum, & humanum præceptum, quia, ut dicitur in cap. de delictis puerorum, in pueris relinqui solet inultum, quod in aliis progressionibus ætatis humanæ leges ducunt severius puniendum. Sic Mercet, unde puto hanc sententiam, ut alibi dictum est, probabilem esse, quam, præter Doctores citatos, docet etiam Homobonus de Bonis, in consili. casuum conscientie, vol. 2. part. 5. respons. 126. vbi citat Sotum Comitolum, & alios vide etiam Vgolinum, de cens. capite 17. §. 3. numer. 5.

RESOL. CX.

An pueri ante annos pubertatis incidant in excommunicationem latam tam à jure, quam ab homine?

Et an ex vi moniterij teneantur impuberes revelare? Ex part. 5. tr. 9. Ref. 46.

§. 1. **A**ffirmativam sententiam docet Hurtado, de Sacram. cens. in comm. diff. 7. n. 30. vbi sic ait: Pueri impuberes ratione videntes possunt simpliciter ligari quacunque censura à jure ut constat ex cap. 1. & c. ult. de sent. excomm. quia ex vna parte possunt peccare ad mortalem, & ex altera nullo jure censura com-